

coni, Presbyteri, Episcopi, aut Subdiaconi Ordinem admittit. Sed cum dicitur qui ab uxoris consuetudine sese continerit, aut ea sit orbatus. Quod in iis locis praecipue fit, ubi Ecclesiastici Canones accurate servantur. De usu autem opposito qui alicubi introducebatur, sic ait: *ὅτι ἡ παρά τῶν κληρικών ἐστὶν ἡ παρά τῶν ἀνδράων κατὰ τὰς πόλεις ἡρώδης διαβολῆς, ἡ τῆς πλῆθους ἐπιθυμίας, ἡ δὲ ἐπιθυμίας ἀνεπίστατος. Non illud ex Canonis auctoritate fieri: sed propter hominum ignaviam, qua nunquam negligenter agere ac commovere solet ob nimiam populi multitudinem deficientibus idoneis ministris.*

CANONIS NICENI IV.

Elucidatio.

1. Can. VI. Episcopum oportet maxime quidem ab omnibus qui in Provincia sunt Episcopis ordinari. Si autem sit hoc difficile, vel propter urgentem necessitatem, vel via longitudinem, tres omnino eundem in locum congregatos, absentibus quoque suffragium ferentibus, scriptisque assentientibus, tunc electionem fieri. Eorum autem qui sunt confirmationem in unaquaque Provincia a Metropolitanis fieri.

Refertur in e. Episcopi ab omnibus, dist. 64. Eadem repetuntur de novo promovendo Episcopo per Episcoporum Provincia suffragia, & cum Metropolitanis consensu in Concilio Antiocheno can. 3. Nullatenus hic audiendus Theodorus Balsamon pseudopatriarcha Antiochenus scribens in hunc Nicenum can. 4. Episcopus olim quidem ab universa plebe electus: quia tamen in hisce popularibus comitiis multa jactabantur indecore in eos, quorum proponebatur electio, fuisse Canone isto consuetudinem illam abrogatam, statutumque ut soli Episcopi eligerent. Sed errat Balsamon, cum nulum hic appareat abrogationis vestigium; atque conficit post Nicenum Concilium, peraque ut prius admitta in Episcopis eligendis populorum suffragia: sic tamen ut moderationi & regimini subessent Episcoporum. Quemadmodum in Atheniensium olim republica, *ἐπίσκοποι* praesides popularibus suffragiis praerant, ut docet Julius Pollux lib. 8. Et utique Athanasius, qui Diaconus in hac apud Nicaeam Synodo interfuerat, evehus postmodum fuit ad Patriarchalem Alexandria sedem universae plebis suffragiis, ut refert Gregorius Nazianzenus orator in ejus laudem. Caeselinus praeterea Romae Pontifex in ep. ad Episcopos Narbonensis Provinciae c. 5. *Nullus (ait) invitis detur Episcopus: Cleri, plebis, & ordinis consensus requiratur.* Paria scribit Leo Magnus ep. 89. & secundum Arelatense Concilium statuit can. 54. ut tres ab Episcopis nominentur de quibus Clerici, & cives, potestatem habeant unum eligendi. Confirmatur Concilii Cabilonensis can. 10. & Carthagenensis quartum canon. 1. Praeterea Synesius epist. 76. refert Antonium fuisse ab universo Oblatarum populo Episcopum creatum. Synodus autem Nicena id unum fancivit ut novi Episcopi electionis & consecrationis cura praefectura sit penes Metropolitanem: ceterique Episcopi ad ejus qui fuerit electus ordinationem conveniant, & ita fiat ordinatio ut minimum a tribus. Pro certo Graculus ille Balsamon minime legerat Nicenorum Patrum Synodicam epistolam ad Ecclesias Aegypti, Libyae & Pentapolis, quae integra habetur apud Socratem, Theodorum, & Gelasium Cyzicenum, quae diserte exigit plebis ipsius in novi Episcopi creatione consensum, sic decernens: *Quod si quis forte eorum, qui Ecclesia funguntur muneribus, diem suum obierit; tunc unus ex illis qui nuper in Ecclesiam accesserunt, modo idoneus videatur, & populus illum eligat, & a sacris scriptis, Episcopusque Alexandriae & suffragetur & consentiat, in locum demortui succedat.* His accedat luculentum Cypriani testimonium, epist. 68. ad Hispanos: *Videmus de divina auctoritate descendere, ut Sacerdos plebe praesente sub omnium oculis deligatur, & dignus, atque publico iudicio ac testimonio confirmetur; sicut in Numeris Dominus Moysi praecipit, dicens: Apprehende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium eius, & impone eos in montem coram omni Synagoga, & exue Aaron stolam ejus, & indue Eleazarum filium ejus, & Aaron appositus moriatur illic. Coram omni Synagoga jubet Deus constitui Sacerdotem, id est instruit & ostendit ordinationes Sacerdotales non nisi sub populi assentientis conscientia fieri oportere, in plebe praesente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita predicentur, & sic ordinatio iusta & legitima, quae omnium suffragio & iudicio fuerit examinata.* Deinde rem confirmat Cyprianus exemplis Apostolorum, deferentium ad suffragia turbae centum viginti hominum ejus electionem, qui futurus erat Judae mortui successor;

quod idem ostendit ab Apostolis observatum praesente plebe, deque ejus consensu in electionibus Diaconorum septem, atque in missionibus sacrorum Sacerdotum. Ad demum his verbis Cyprianus rem concludit: *Propter quod diligenter de traditione divina & Apostolica observandum est, & tenendum, quod apud nos quoque & fere universas Provincias tenetur: ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui praepositus ordinatur, & Episcopi ejus Provinciae proximi quinque conveniant, & Episcopus deligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit.* Haecenus Cyprianus.

2. Porro in novi Episcopi consecratione tres secundum Canones intervenire debent Episcopi. Nam praeter hunc Nicenum, Anacleus epist. 2. citata in Decreto, cap. fin. dist. 66. & Anicetus, qui ambo primo saeculo Ecclesiam rexerunt, non modo istud de tribus Episcopis ordinatoribus praescribunt: sed etiam Apostolos hac tradidisse confirmant. Quinetiam a tribus Apostolis Petro, Joanne, & Jacobo majore fuisse Jacobum minorem, qui frater Domini dictus est, ordinatum Jerusalemorum Episcopum: ut hoc facto traderetur in posterum ordinationum Episcopatum ritus & forma. Adscriptus quoque Apostolis can. 1. praescribit, episcopum a duobus vel tribus Episcopis esse consecrandum. Sub Silvestro Pontifice, undecim annis Niceno isto antiquius Concilium Arelatense can. 20. diserte interdixerat, ne quisquam consecraretur Episcopus minus quam a tribus Episcopis. Innocentius I. epist. ad Victorium Rhotomagensem Episcopum, prohibet quemquam Antistitem ordinari nisi a tribus Episcopis. Synesius item epist. 87. ad Theophilum Alexandrinum perhibet Siderium contra Ecclesiae leges renunciatum Episcopum Palaeisae; idque temere factum notat, quatenus nec ipse Alexandriae Antistes his consenserat, neque a tribus Episcopis peracta fuerat consecratio. Denique in Concilio Regiensi reprobat Armentarii ordinatio, qui fuerat renunciatus Ebroduni Episcopi; tum eo nomine quia tres Episcopi non consecraverunt, tum quia Metropolitanis consensu defuerat: quae tamen utraque simul exigit quartus iste Nicenus canon. Quinimmo Concilium Arelatense primum can. 27. decernit, ut qui Episcopum consecrat septem alios secum assumat Episcopos: ubi vero compleri numerus ille non poterit, ne minus quam tres Episcopi interfiant.

3. Illustris est quaestio sine de necessitate Sacramenti, an vero de sola praecipiti necessitate, ut tres hic interveniant Episcopi: tres ventilantur in hac re Theologorum sententiae. Aliqui contendunt id esse de Sacramenti necessitate, ut si vel unus de numero desit, nihil agatur. Opinantur alii esse id quidem de Sacramenti necessitate, non quidem absolute, sed hac restrictione, si non fuerit ab Ecclesia suprema potestate dispensatum ut fecus fiat. Quo etiam modo perique docent esse de Sacramenti Confirmationis necessitate, ut ab Episcopo administraretur: Si tamen accesserit vel Romani Papae, vel Concilii generalis dispensatio, posse simplicem Sacerdotem illius esse ministrum. Tertia demum sententia est, posse etiam citra dispensationem valide conferri, ac suscipi Episcopalem consecrationem & characterem, etiam si illicite, ab unico Episcopo. Praecipit quidem Anicetus Papa (si tamen vere sit) declarat hujusmodi ordinationem viribus carete, atque irritam omnino esse. Illius tamen Canonis glossa id exponit de executione officii, hoc est ut non liceat Sacerdoti illa exequi quae sunt muneris Episcopalis, donec dispensatum cum illo fuerit.

4. Tertia illa potior ac verior est sententia; sumioribus namque nititur argumentis. Primum enim Innocentius Papa epist. 22. ad Bonifacium disensionem componit Ecclesiae Antiochenae, quam duo primum regebant Episcopi, mandatque illos, qui fuerant ab Evagrino ordinati, cum suis recipi in ordinum gradibus & honoribus. Et tamen certo constabat, Evagrino contra Ecclesiae normam fuisse a solo Episcopo Cyrenensi Philone consecratum Episcopum, neque id tamen obtulisse quominus magnus Athanasius absque nova consecratione cum eo dispensaverit, & ad regimen admoventur Ecclesiae. Ad haec Synodus Regiensi cum praefato Armentario dispensavit, ut baptizatos seu neophytos confirmaret, & Clerici ab eodem ordinati permitteret, dummodo alioquin idonei & inculpatae vitae iudicentur, in ordinum suorum ministerio retineri. Insuper Apostolorum can. 1. approbat Episcopum a duobus Episcopis consecrari.

5. Simon Apostolus apud Clementem Papam lib. 8. constituit, Apost. cap. 27. ordinationem Episcopi valere sancit a duobus tantum factam Episcopis. Et hoc adit, posse occurrente necessitate ab unico Episcopo consecrari.

secrari Episcopum. Dionysius item in hierar. Eccl. describens Episcopi Augurandi ritum, meminit unius duntaxat consecrati Episcopi. Idque amplius inde confirmatur, quod vix ac ne vix quidem fieri plerumque poterat, ut Apostoli terrarum orbem ad evangelizandum peragrantes, novaeque in provinciis ad quas accedebant fundantes Ecclesias, copiam semper haberent Episcoporum, quos vel passim novis Ecclesiis praesicerent, aut quorum opera novos ordinarent. Testatur Henricus summae suae tom. 1. lib. 19. cap. 24. Pontificem Gregorium XIII. dispensasse cum recens constituta a se Patriarcha Aethiopiae ex Societate JESU, ut solus sine assistentibus Episcopis posset novos Episcopos consecrare, ubicumque opera pretium foret. Quarenti Augustino Angliae Primati, quot essent Episcopi necessarii ad novum consecrandum, rescribit Gregorius Magnus Pontifex resp. 8. ad Augustini interrogata, verbis quidem obscuris, quorum tamen hic est genuinus sensus: Cum sit solus in Anglia Episcopus Augustinus, expectandos esse de vicina Gallia Episcopos qui novos antistes ordinaturo Augustino assistant. Et postmodum advocandos esse noviter ordinatos in Anglia Episcopos ad novam aliorum Praesulum consecrationem.

AD CANONEM NICENUM V.

1. Can. V. De his qui communione privantur, seu ex Clero, seu ex laico ordine, ab Episcopis per unamquamque Provinciam sententia regularis obineat: ut hi qui rejeiuntur, ab aliis non recipiantur. Requiritur autem ne pusillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet Episcopi vitio videantur a congregatione seclusi: Ut hoc ergo decentius inquiretur: bene placuit annis singulis per unamquamque Provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut communiter omnibus simul Episcopis Provinciae congregatis, discutiantur hujusmodi quaestiones. Et sic qui suo peccaverint evidentur Episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus estimantur, usquequo Episcopo vel in communi placeat humaniorem pro talibus ferre sententiam. Concilia vero celebrentur unum quidem ante Quadragesimam Pascha, ut omni dissensione sublata munus offeratur Deo purissimum: secundum vero circa tempus autumnum.

Arius communione fidelium ab Alexandro proprio Episcopo segregatus, & in communionem ab utroque Eusebio, aliisque quibusdam Episcopis admistus, praecipua hujus Canonis causa fuit. Citatur in Decreto, 11. quaest. 2. cap. servetur ista sententia. Renovatur & in Concilio Sardicensi can. 13. Eodem spectat Antiocheni Concilii can. 20. Ante Nicenum Concilium fuerat hoc idem sancitum in Illiberitano can. 53. deinde confirmatum a Romanis Pontificibus, Siderio epist. ad Episcopos Aethiocos, cap. 7. *Ut abjectum Clericum alia Ecclesia non admitrat.* Et ab Innocentio epist. 2. cap. 7. Huc pertinet Apostolorum can. 32. & Concilii Arelatenis primi can. 16. & Araucanici primi can. 11. His sanctus suffragatur Augustinus epist. 215. ad Quinintianum. Concinit & Antiochena Synodus can. 6. Idemque decernitur cap. cum & plantare, de privileg. & cap. nulli, de sent. excomm. Solum itaque superest excommunicato remedium, vel ablatio, vel recursus ad superius tribunal per appellationem: quae tamen minime suspendit excommunicationem, sed ad superiorem devolvit iudicem, juxta caput ad haec quoniam, de appellat. Sane ubi excommunicationis sententia esset aperte invalida, ut si nulla praecessisset praemonitio, nullatenus ligaret, nec opus esset appellatione, cap. statui-mus, de sent. excommunicatio enim peccatum praetulerit cum contumacia conjunctum, alioquin irrita, & inanis.

2. Praecipit hic idem Nicenus canon, ut singulis annis bis convocentur ad Synodum omnes in singulis Provinciis Episcopi, primum quidem apparente Quadragesima tempore: deinde autumnum: atque ut Synodus examinet prolata a singulis per parochias Episcopis sententias, quae ibi prout videbitur, vel confirmantur, vel corriguntur, vel revocantur. Eandem iterat constitutionem Synodus Antiochena can. 20. Deinde Chalcedonenis oecumenica can. 19. & Leo Papa I. epist. 82. cap. 7. quae super omnia compilavit Gratianus dist. 18. Insuper Apostolorum can. 37. jubet quotannis Synodos Episcoporum provinciae cuiuslibet convocari tum hebdomada quarta Pentecostes, tum die duodecima mensis Hyperberetani, qui nostro fere Octobri respondet: ibique appellationum causas terminari, singulorumque Praesulum prolata in suis parochiis sententias & acti explorari.

Hoc ipsum Romanus quoque Pontifex singulis annis servabat, dualque Synodos coegebat, Episcoporum; primam quidem ex provincia, cui praesit ille titulo Metropolitanus, Provincialem; secundam Nationalem mensis Octobri Italiae Siciliaeque Episcoporum quibus ipse praesedit speciali jure Primatus. Hujus notitiam rei suppeditat Leonis I. epistol. 62. ad Episcopos Siciliae, cap. 4. his verbis: *Ut quia saluberrime a sanctis Patribus constitutum est, binas in annis singulis Episcoporum debere esse conventus, terti semper ex istis ad diem tertium Calendas Octobris Romam fraterno Concilio sociandi occurrant.* Nonnunquam etiam, sed rarius, coegebat Romanus Episcopus, ut Occidentis Patriarcha, Concilium non modo Italiae & Siciliae, sed etiam Galliae, Hispaniae, Britanniae, Africae, Illyrici: quale superius vidimus Arelatense in causa Donatitarum. Denique ad Papam Romanum ut supremum universi dominici gregis pastorem Concilii oecumenici indicendi potestas spectat.

AD NICENUM CANONEM VI.

1. Can. VI. Antiqui mores servantur in Aegypto, Lybia, & Pentapoli: ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; quandoquidem & Episcopo Romano hoc est constitutum. Similiter & in Antiochia, & in aliis provinciis sua privilegia Ecclesiae servantur. Nulla autem est omnino manifestum, quod si quis absque Metropolitanis sententia factus sit Episcopus, eum Magna Synodus desinit non oportere Episcopum esse. Quod si quidem communi electioni omnium, quae rationi consonanea & ex regula Ecclesiastica facta est, duo vel tres propter suam qua delectantur contentione contradicant, vincant plurium suffragia.

Hujus canonis suppleendum est initium quod hic deest, tum ex vetustissimo Codice Canonum quo utebantur temporibus Julii Papae Romana Ecclesia; tum etiam ex oecumenica Synodi Chalcedonenis actione 16. tum praeterea ex perantiquo codice Canonum & Constitutionum Romanae Ecclesiae, quem vir eruditus Quenelius ad fidem trium vetustissimorum manuscriptorum in lucem emisit; tum etiam ex constitutione Valentini Augusti advenus Hilarii Arelatensem edita, in qua haec verba continentur: *Cum igitur sedis Apostolicae Primatum, sancti Petri meritum, qui princeps est Episcopalis corona, & Romana dignitas civitatis SACRAE ETIAM SYNODI firmavit auctoritas.* Canon Nicenus prout legitur in prima collectione Romana, quam agnoverunt Alanus Copus, & Severinus Binius, sic orditur: *Ecclesia Romana semper habuit primatum.* Cui conformior est idem canon Graecus, qualis lectus & approbatus fuit in Concilio Chalcedonenis ἡ ἐκκλησία τῶν ἁγίων πάντων ἔσχε τὴν πρώτην Ἐκκλησίαν Ῥωμαίων semper habuit principatum. Antiqui mores servantur in Aegypto, &c. quo lecto canone universa Synodus ead. actione 16. saeculavit: *Videmus omnia, Primatum & praecipuum honorem, secundum canones, Dei amantissimo Archiepiscopo veteris Romae conservari.* Quenelianus vero codex: *Ecclesia (inquit) Romana semper habuit primatum,* quasi decretorie; cum tamen alii citati codices cum Chalcedonenis loquantur enunciative, *semper habuit.* Rufinus canonem istum verbis ambiguis, atque adeo intelligentia & constructione vacuis, non tam vertit quam pervertit. Quid enim intelligitur his Rufini verbis: *Et apud Alexandriam, & in urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Aegypti, vel hic suburbicariae Ecclesiarum sollicitudinem gerat?* Neque vulgaris contextus Graecus, neque exemplaria Gelassi, aut ea, quae ad Patres Concilii Carthagenensis transmissa leguntur, quidquam de suburbicariae Ecclesiae, quas Rufinus intrusit in canonem, referunt; & frustra viri docti quid sint apud Rufinum suburbicariae Ecclesiae decertant, non enim provincias dicit, sed Ecclesias suburbicarias, perinde ac si de praediis, ac oratoriis intra paucos ab urbibus mœnibus lapides sitis sermo illi esset. Longe vero alia quaestio est de suburbanis seu suburbicariis provinciis, quae sane latius patent: non adeo late tamen ut jus Patriarchicum Romani Episcopi adaequare queant, quod Italiam, Galliam, Hispaniam, Britanniam, & magnam Africae partem complectebatur. At vero suburbicariae provinciae, ad quas protendebatur Vicarii urbis Romae iurisdictione & potestas, juxta divisionem a Constantino statutam, decem recensentur, Campania, Tuscia simul cum Umbria, Piceni pars dicta suburbicaria, Sicilia, Apulia simul cum Calabria, Bruttii simul cum Lucania, Samnium, Sardinia, Corsica, Vale-